



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 96. Cessio Papatus nomine Gregorii XII. a Carolo de Malatestis facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

§. XCVI.

*Cessio Papatus nomine Gregorïi XII.
a Carolo de Malatestis facta.**Labbe Conc.
to. 12. p. 118.*

Cunctis hisce perlectis Carolus Malatesta Arimini Toparcha solio satis elevato, perinde ac si pro ipso summo Pontifice fuisset erectum, considens, orationem declamavit, proposito themate ex verbis S. Lucæ cap. 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis*, forte ad nomen Angeli, quod Gregorio erat, alludens. Finito sermone non admodum prolixo, alta voce abdicationis diploma recitavit sequentibus verbis: *Ego Carolus de Malatestis Arimini necnon Romandiolæ rector pro nostro sanctissimo Patre Domino Gregorio XII. & S. Romanæ Ecclesiæ, atque ejusdem Papæ Procurator Generalis, habens plenum ac speciale mandatum, quemadmodum constat per Bullam authenticam S. D. N. prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, sed ut omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantave cordis affectione sacram unionem, & reintegrationem Christianorum prosecutus fuit, prosequaturve per viam etiam renuntiationis inclusive, pure & libere & sincere procuratoris nomine ipsius Gregorïi XII. Pa-*

pæ

pa Domini nostri renuntio, & cedo, expresse in his scriptis realiter & cum effectu, juri, titulo, & possessioni, quod, quem, & quam ipse habet in Papatu, & resigno coram Domino nostro Jesu Christo in hac sacrosancta Synodo & universali Concilio, sanctam Romanam & universalem Ecclesiam representante.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. XCVII.

Gregorii cessio a Synodo acceptata & approbata.

Carolus facta renuntiatione locum suum mutavit, & alio se contulit, ut ostenderet, cessionem a se ore tenus factam ipso opere confirmari. Tunc Archiepiscopus Mediolanensis suggestum ascendens, jussu Cardinalis Præsidis schedulam perlegit in hanc sententiam: Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam Catholicam representans, cessionem, renuntiationem & resignationem pro parte illius Domini, qui in sua obedientia dicebatur Gregorius XII. juri, titulo, & possessioni, quod, quem & quam habuit in Papatu, vel nunc habet, nunc per magnificentem & potentem Dominum Carolum de Malatestis hic presentem, ejusque ad hoc procuratorem irrevocabilem, pro eodem Domino, qui dicebatur Gregorius XII. factas ad-

H 4 mittit.